

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3645

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Asnières-sur-Oise, Notre-Dame de Royaumont (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, novembre

Lieu d'émission : Saint-Denis

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, accorde et confirme la vente faite par l'abbé et les moines de Royaumont au chapitre de Rouen de tous qu'ils ont eu à Neuville-Champ-d'Oisel, les coutumes de la forêt de Longboel et un pré situé entre Douville et Pont-Saint-Pierre sur l'Andelle avec un île situé à Romilly sur l'Andelle.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 693, p. 147.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, cum viri religiosi dilecti nostri in Xpisto abbas et conventus Regalis Montis, Cisterciensis ordinis, Belvacensis dyocesis, vendiderint, concederent et perpetuo quitaverint viris venerabilibus et discretis et dilectis nostris in Xpisto decano et capitulo Rothomagensi, sollempnitate juris que circa tales contractus requiritur diligenter observata, quidquid habeant in parrochia Noveville de Cantu avis in Rothomagensi dyocesi, videlicet terras quas ex dono et elemosina nostra se ibidem habere dicebant, quas sub certo anno censu tradiderant seu tradi fecerant, cum manorio quod ibidem habebant, quod traditum esse dicitur pro quinquaginta solidis turonensium annui census, sicut se proportat a via ante usque ad viam retro, cum pertinenciis premissorum et cum consuetudinibus quas se habere dicebant in foresta de Long Bouel ; item quoddam pratum situm inter Douville et Pontem Sancti Petri super Andelam, quod traditum esse dicitur, pro viginti quinque solidis turonensium annui census, cum quadam insula sita apud Roumylli supra dictam Andelam, que tradita esse dicitur pro quinque solidis turonensium census annui, cum omnibus aliis, tam masuris, justiciis seu juribus competentibus seu que poterant dictis abbati et conventui competere in premissis seu ratione premissorum quacumque ratione, quam rebus aliis, quocumque nomine debeant nuncupari, ita quod dicti decanus et capitulum dederunt dictis abbati et conventui pro viginti solidis turonensium annui redditus viginti libras turonensium, de qua summa peccunie tenent se iidem abbas et conventus pro pagatis, sicut in litteris eorumdem abbatis et conventus vidimus contineri ; Nos venditionem, concessionem et quitationem predictas volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, volentes et concedentes, ut dicti decanus et capitulum predicta omnia in manu mortua teneant et possideant in puram et perpetuam elemosinam, pacifice et quiete et sub eadem immunitate et libertate quam dictis abbati et conventui concesseramus in premissis, nichil nobis aut nostris successoribus in predictis omnibus penitus retinentes preter solam justiciam corporum hominum et membrorum, ita quod, si contingat nos vel successores nostros justiciam facere in predictis de corpore vel de membro, nos vel

successores nostri in bonis punitorum nichil penitus retinebimus ; sed ad ipsos decanum et capitulum, sive sint mobilia sive immobilia, pertinebunt. Quod ut ratum et stabile teneatur in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Sanctum Dyonisium in Francia, anno Domini M° CC° LX° tercio, mense novembris.